

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Rerum index:

Sociis monitum.
De Seminariorum studiis notiae.

In Virginem Nascentem

De Heinto, Germaniae poëta.

De Leone XIII P. M. Commentarius.

De aulaeis, quae vulgo « arratia » nuncupantur.

Quæstiones philologicæ. Unde eadem vocabula cum « in » composita, modo positivam, modo negativam significatiōnem habeant?

Colloquia latina. Pecunia petitur; mutuo datur.

Paroemiae sive Adagia. Sero sapiunt Cumani. — Quid, si cælum ruat? — Suam ipsius umbram metuere. — Nimirum tendendo, funis abrumptur. — Momo satisfacere. — Multa cadunt inter calicem supremaque labra. Flamma fumo est proxima.

Ex Sacris Congregationibus Romanis sententiae novissimæ selectæ. Ex Congregatione de Religiosis. — Ex Congregatione Rituum.

Diarium Vaticanum. Coram SSmo. admissions. — Pontificiae electiones. Annales. Pax inter Balkanicos populos composita. — Mexicanum cum Septentrionalis Americae civitatibus discrīmen. — Sinarum civile bellum.


Publici per orbem coetus legibus ferendis.

Per orbem.

Libri recens dono accepti.

Aenigmata.

Appendix: (Ad Romanam).



SOCIIS MONITUM

Plures socii sunt, quemadmodum ex actis nostris apparel, qui nondum currentis anni subnotationis preium solverunt; quin imo nonnulli, in quos cum pretio superioris anni in solidum sit quoque appellatio.

His omnibus, qui commentarium diligenter et continue missum retinuerunt, meminimus, ipsis pecuniam quasi creditam a nobis esse, cuius restitutio debeatur; eoque magis quod haec VOX, non litterarum tantum, sed omnis humanitatis vindex, nullo emolumento fulciatur, nisi favore et collata stipe sociorum; quae si defecerint, et ipsam deficere oportebit.

S. E. R.

DE SEMINARIORUM STUDIIS NOTULÆ

Revertamur ad fontes!

Anceps ac salebrosum iis iniungitur obire munus, quorum curae « in sortem Domini vocatos, » ad tantum ministerium et virtutis et doctrinae ornatu quam plenissime instruere commissum est ac demandatum. Puerulus enim intra sacra moenia detrusus, tenellam illam aetatulam ceteramque insequentem illo loco, illis in scholis, in illa umbratili politiorum litterarum divinarumque disciplinarum palaestra aetatem agit, suosque mores ita componit, ut ex auditore, suo tempore, in praceptorum vel animarum ducem suffectus, sedulam navet operam, ut illud quod a maioribus acceperat minoribus cum foenore reddat. Quo fit ut viri iam adulti animus non abalienatus ab illo sacro contubernio, ea semper erga Seminarium fide se gerat, constantia, pietate, quae liberorum est in amantissimam parentem.

Magnum equidem opus adolescentum fingere mores, sed longe maximum, sacerdotalem vitam effingere!

Fuit quoddam tempus felicissimis exortientis Ecclesiae primordiis, fuit beatissimum tempus, quo illius fundatores et administri una simul cum vocatione, atque electione caelitus facta scientiam quoque sacro-sanctis mysteriis capessendis, peragendisque consenteam et opportunam acciperent divinitus atque auspicarentur. Affluentissimo Spiritus Sancti illapsu perfusi, sub tanto caelesti magisterio ex indoctis protinus doctissimi, ex rudibus exemplo eruditissimi, atque ex discipulis statim orbis terrarum magistri ob repentinam illam omnigenae spiritualis scientiae infusionem et communicationem evadabant. Quibus etiam tamquam pedissequa ancillabatur miraculorum virtus, ut pervicacia ingenia quae scientia apostolica non revinceret, portentorum monstra frangerent et edomarent.



At vero Ecclesiae aedificio iam satis constituto, Christique religione longe lateque propagata, uti donum miraculorum impertiri infrequentius, ita quoque sapientiae infusae superni fontes lentius fluere, et ferme exarescere cooperunt, ut studio, labore, vigiliis ea deinceps scientia compararetur, quae antea nulla praemeditatione, cura et molimine divinitus satis abunde et affluenter immittebatur.

Multa sunt quae Ecclesia expetit a suis candidatis et administris; quorum nonnulla adeo necessaria, ut si eorum quidpiam desit, omnem aditum ad altiorem gradum interdicat penitus et intercludat; cumprimisque eo in numero recensetur vel probatae famae, vel praequisitae scientiae defectus, qui ex Canonum praecripto ineluctabile ad ecclesiasticos honores et munia obiecit semper impedimentum. Inscitis enim istis et imperitis statim occurrit gravissimum illud Malachiae decretum: «Quoniam repulisti scientiam, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi». Ad hoc rigida et severa instituta sunt examina, in quibus nec favor, nec amicitia, nec preces ausint dominari; alias peccaretur turpiter adversus Apostoli monitum, quo cautum esse voluit consecratoribus, ne cito manus cuicunque imposuerint.

Non est enim huius loci neque temporis definire, quanta debeat esse quaesitae scientiae supellex, apparatus, instructio. Aliquid vero attigisse prorsus vanum esse non puto. Rem enim eiusque fines declarare difficile non est quum, pontificia auctoritate, sapienfiae plenas doctissimi viri in lucem dederint leges de ratione studiorum habenda. Sed potius id unum prae oculis minus habitum est, legislatoris dicam voluntatem, quae enixe orat atque obseerat, ne latinae linguae studium, quod Romanae Ecclesiae decus est et gratia vivax, a reliquarum disciplinarum cultu quasi dumis et veribus compressum, in dies conficiatur.

In Pontificiis et Episcopalibus Seminariis, nostra memoria, nobilis ac princeps gloria fuit tirones latina graecaque lingua ita eruditos habere, ut cultores clarissimi nulli secundi inde haberentur. In proverbio est id quod clarissimus Momsenius dictabat: «Nos germanici grammatici, italici seminariorum alumni latine scribunt».

Sed hisce volventibus temporibus, nos ipsi quibus latinae et hellenicae linguae magisterium est demandatum, nos ipsi, proh dolor! confiteri cogimur, patrum nomen illud ac decus in eo esse ut confici possit. Causas nonnullas huius rei, viri docti in medium attulerunt; sed ratio princeps haec esse videtur, quod sensim sine sensu laicorum spiritus ac mens septa sacrumque seminariorum vallum pervaserunt. Plerumque alumnorum ac parentum mens tota in eo est, ut licentiam vel ex Gymnasio vel ex Lyceo alumnus consequatur, non aliter ac si de futuris medicis, vel physicis, vel pharmacopolis ageretur, non vero de sacris ministris in sortem Domini vocatis. Inde fit ut maximi conatus ac vires in illud intendant, quod ex gubernii scholasticis le-

gibus requiritur ad diplomata capessenda. Fatendum equidem quod saepius hic unicus finis, terminus hic unicus! quo perspecto, patrum nostrorum finis supremus omniue laude cumulatus oblitteratur, ac non difficulter aliquando risui vertitur. Concedo in nostris seminariis alumnos reperiri rerum physicarum, mathematicarum, naturalium, historicarum cultu ea doctrina pollentes qua maioribus nostris superiores evadant, sed in Sacerdote id non omnino laudabile puto.

Quid enim haec scientia ad aeternitatem? quid ad animarum salutem? Quid, nisi ad illam inflantem scientiam a qua nos Spiritus arcet? Non est hic Spiritus Dei; mundi spiritus est ac tenebrarum, spiritus procellae ac tempestatis, quo seminariorum aulae invasae, itineris tenebricosi aditum aperuerunt sterilemque illam divinam vocationem effecerunt, qua Deus in alumnorum mentem intraverat ibique divinum tabernaculum instituerat.

Prae oculis habendum est, seminaria non esse laicorum collegia, (1) in quibus viri efformantur ad laicas professiones quamvis Christianae Reipublicae utiles; nec a nobis Christus quaeret quot medicos vel mathematicos efformaverimus.

Illud tamen in proposito est atque exploratum, tum duobus veluti capitibus, pietatis scilicet et doctrinae, veras et solidas ecclesiasticas dotes contineri; tum ad eas obtinendas, amplificandas conservandasque Seminariorum institutionem spectare. Id pro ea, qua insigniter praecellebant, sagacitate et accuratione, non sine divini Numinis ope, consilio et collustratione viderunt et prosplexerunt Oecumenici Tridentini conventus proceres, qui inter tot immortalia beneficia Ecclesiae Christi tum maxime haereticorum insidiis et fraudibus periclitanti collata, hoc potissimum instituto armamentario et munimento, eam perpetuo sartam, tectam, servandam curaverunt. Post tria siquidem et amplius lustra absoluta demum iam fuerat ea Synodus praeclarissima, haereses detectae et profligatae, Fidei dogmata sancta et roborata, morum regula ad rectam Canonum rationem praestituta et conformata, ut nihil desiderari posse amplius videretur. Atqui tamen piissimos illos, sapientissimosque Christianae Reipublicae Senatores, dum in patrias oras remearent, dictitare consuevisse accepimus: reliquis rebus omnibus praetermissis, se vel ex uno capite solari, vel hac unica ratione suos labores satis compensatos iudicare, quod in illo concilio decreta esset Seminariorum institutio.

Revertamur ad fontes!

ALEXANDER AURELI.

(1) Opportune in: *Norme per l'Ordinamento educativo e disciplinare dei Seminari d'Italia* (pag. 42). «I Seminari, sieno gelosamente mantenuti nello spirito proprio, e rimangano esclusivamente destinati a preparare i giovani, non a civili carriere, ma all'alta missione dei ministri di Cristo».

IN VIRGINEM NASCENTEM

Io! vocata longis
 Mortalium usque votis
 Inicit alma lucem
 Hanc primulum Puella.

 Io! colores explicat
 Aurora pulcra amabiles,
 Quae pulchriorem candido
 Solem afferet dium sinu.

 Videtis in labellis
 Puellulae ut decorus
 Renideat levesque
 Risus serenet auras?

 Atque ut beatis insidens
 Festive ocellis torqueat
 Amor sagittas, intimo
 Quae corda tangant vulnere?

 Iocetur ut venustas
 Per colla perque frontem,
 Per et rosas genarum,
 Perque aureos capillos?

 Ergo alitum frequens cohors
 Circum supraque convolans
 Miratur, ardet, exsilit,
 Et mille lusus implicat.

 Coniuncta utraque palma
 Hic adspicit Puellam:
 Hic osculum dat imo
 Pedi, sibique plaudit:

 Cunas at ille argenteis
 Fundit pudicas liliis:
 Hic flosculum pronus rapit
 Et laetus in caelum redit:

 Summum ad lacunar alter
 Supinus ora versus
 Mariae micante nomen
 Pulcre colorat auro.

 Tum lapsa summo ab aethere
 Sertis revincta candidis
 Et purior pura nive,
 Dia haec Voluptas concinit:

 Hinc fletus omnis absit,
 Procul et dolor facessat:
 Stygii malas tyranni
 Non sensit ista fraudes;

Sed matris in sinu sua
 Timenda vindex emicans
 Hiantis anguis asperos
 Morsus minasque contudit».

 Haec tinniente voce
 Ilerat canens iocosa,
 Pede plaudit et decentes
 Argutulo chores.

 At tu, Puella, honoribus
 Cui fulget ortus aureis,
 Tot iure quamvis munera
 Teque inclitum exornet decus;

 Fastidias caveto
 Nostras, Puella, sedes:
 Rerum Pater tibi uni
 Has maxime paravit.

 Serena per noctem faces
 Quae luna dicit igneas,
 Mollent soporem languidis
 Tuis ocellis offeret.

 Croco rosisque picta
 Aurora surget undis,
 Diem ut reducat alnum
 Tuis, Puella, ocellis.

 At sol eoo ab aequore
 Dum fundit immensum iubar,
 Lustratque montium iuga
 Flexus et imos vallum;

 Te frondei recessus
 Nemorum vocant, et aurae
 Lascivius iocantes,
 Et fontium susurri.

 Nam quidquid usquam amabile
 Sensus beare gestiat,
 Gestit tibi se conditum
 Et te beare discipit.

 Quod si scelestia fraudum
 Et criminum caterva
 Laxis ubique frenis
 Licentius vagatur;

 Per te sub imis sedibus
 Pelletur expes, et diu
 Despecta virtus candidis
 Terras reviset moribus.

H. N.

DE HEINIO GERMANIAE POËTA¹

Nemo est — id ausim affirmare — quin, vel litterarum germanicarum rudis, Heinum noscat, unum e poëtis qui primo dimidio saeculi xix floruerunt; nemo est, ut mea fert sententia, quin eius in carminibus legendis, scilicet illis in quibus amoris sensus tanta imaginum varietate distinguitur, tanta colorum suavitate perfunditur, tot luminibus verborum exornatur, magna commotione affectus sit, atque una cum poëta laetitia sit elatus, animo succubuerit, cupiditate arserit, moerore se confecerit euris vigiliisque vexatus... Namque Heinius plane suus est in canendo describendoque quidquid penitus sentiat, nullo artificio, nullo dicendi apparatu, omnibus lenociniis vel fucatis pigmentis sepotitis: eaque vera poësis est ac poëtam immortalitati commendat, quae sinceros animi sensus referat pulchrique quamdam speciem et formam persequens, non exquisito, non opimo et inflato, sed simplici, vero et, ut ita dicam, nativo stilo obumbret. Hinc fit ut per rarus sit eorum numerus qui, poëtarum nomine digni, et maximam ab omnibus laudem adipiscantur et quasi divino in solio ob artis suae excellentiam collocentur.

*Consules flunt quotannis et novi proconsules:
Solus aut rex aut poëta non quotannis nascitur.* (2)

Heinius autem is est auctor ut, mente perquam vegeta praeditus, et ingenii celeritate excellens, plura eaque luculentissima testimonia tum mentis agitationis, tum doctrinae insignis obtulerit. Acer in rebus inventiis, uti solitus dissimulatione, ad facetias acerbas proclivior, in sensibus animi motibusque effingendis facile princeps, modo se impetu efferebat, violentam amoris vim in lyricis canendo, modo molliore versu et delicatiore sollicitudines ex ipso amore manantes effundebat, modo denique in satira stomachosius in omnes invehebatur, vel quibus praestare se maxime officiosum et gratiam referre debebat... Haec inconstantia mutabilitasque mentis quae scriptorem si respicis, late patet, latior manifestiorque apparet in privato. Neque ego meminisse scio qui possit cum illo comparari ob hanc vicissitudinem ne dicam oscillum, amoris et odii, laudis et criminacionis, candoris et dissimulantiae... in qua eius vita continebatur. Scilicet Heinii natura et indoles mixtum quiddam fuit ex variis elementis, unde difficile est eum dijudicare. Quod si Seneca scribit: « Nullum magnum ingenium sine mixtura dementiae fuit », eequis ire infitias audebit haec verba apte in Heinum quadrare? Quid autem dicam de eius impigra-

(1) Egregius huius elucubrationis scriptor - (liceat nobis id animadvertere) - dum in Henrico Heine miram variamque facultatem poeticaem exaltat, quam et nos ultro agnoscimus, non satis forte ad fontem respexit, unde poësis illa amatoria erupit. Fons autem erat animus violentis cupiditatibus, iisque mature depravatis, misere agitatus. Quare fieri non potuit, quin poësis inde enata satis frequenter limum amoris inordinati atque erotici secum traheret; quem flores poetici, veste quadam elegantia ol-ductum, eo pleniorum periculorum reddunt, pravarumque illecebrarum.

in scribendo industria? Qui, etsi libidinosus et intemperans ac moribus dissolutis fuerit, etsi morbo lente tabesceret et oculorum infirmitate aegrotaret, numquam tamen a scribendo deterritus est, et ut sumptus in dies crescentes compensaret et ut in litteris, quarum amore flagrabat, sese continuo exerceceret.

At omnibus ex scriptis eius, tum numeris adstrictis, tum oratione soluta, in quibus ingenium haud commune, mentis aciem, celeritatem, ardorem animi necesse est admireris, longe eminent amatoria carmina, opus a fabre exaratum, in quo non loquitur poëta, non vates laureatus et numine sacro afflatus canit, sed ipsius cor se totum aperit, se totum effundit, eo canendi genere usum quod, imaginibus delicatulis intextum, venustate et concentu verborum pervasum, aureis coloribus pictum, ambrosios odores exhalans, quemque profanum fugit... O prodigium poësis! o singularis et sane admirabilis ingenii vis! Nam, etsi suavitate carminum capiamur, quorum etiam nonnulla memoriae committimus, et iocis et blandulis vocibus et mollitie numerorum allecti, vix possumus intellegere quonam miraculo artis et studii ac voluntatis — quum tot poëtae, idem argumentum tractantes, viribus et spe destituti, recto itinere lapsi plerumque deflectant atque ad imum vergant — Heinius tam varie, tam venuste, tam eleganter, tam delicate unam rem vel argumentum tractare potuerit, quum numquam eisdem verbis id reddiderit vel eamdem cantilenam cecinerit, quum numquam in molestas putidulasque dictiones dilapsus sit. Dixeris, ob eius meritum amatoriam rem evolvi, innecti, sinuose pandi, magnis orbibus explicari, ut nexilis pallensque hedera « sequaci fronde robora complectitur », vel ut in arcum forniciis pampinei curvata vitis, desuper impendens,

. . . racemiferis praetendit poma corymbis.

Quid mirum si subtilius ab existimatoribus de arte heiniana quaeratur, si Heinii poëmata in dies convertantur vel explicentur, si hodieque investigari velit qui privatus ipse fuerit, quanam indole, quibus moribus vixerit, ab ineunte adolescentia usque ad extremam vitam?... Omnes enim existimatores, alii alio genio usi, si ita potest dici, evolvere et quasi enucleare eius animum amant, et vitae institutum, et amores, et studia, et vitia, et libidinem arbitriumque et . . . omnes res et quasdam alias.

En habes istiusmodi librum nuper editum, qui Heinum privatum praesertim attingit amplectiturque. (1) Expediam paucis, nullis ambagibus retentus: hoc libro tamquam optimo duce utemur, si penitus in naturam moresque poëtae inspicere volemus. Namque auctor, hue illuc ipsius Heinii verbis usus, qui saepe sui mentionem in operibus facit, et prudens adhibens consilium in notitiis litterisque secernendis, maxime quod

(1) PIERRE GAUTHIEZ. — *Henri Heine.* (ex officina Bloud et Cie, Lutetiae Parisiorum, MCMXIII. — Opus continetur sylloge quae inscribitur: *Les grands écrivains étrangers*).

attinet ad illos qui de eius vita exposuerunt, a prima origine, scilicet quem Heinius natus est d. 13 mens. Dec. a. 1799 usque ad mortem quae incidit in annum 1856, narrationem prosequitur. Nihil enim silentio praeterit: itaque videmus quibus parentibus ortus, quaue in urbe, infantiae initia exegerit; quomodo iam inde ab adolescentia sui ingenii celeritatis significationem dederit; qua fuerit animi inclinatione, quibus sensibus et gentem suam et natale solum prosecutus sit, quibus denique signis portenderit sese facile principem in amatorio carmine pangendo evasurum... Namque is, simul atque in patrui domum acceptus est, vehementi sororis patruellis amore flagravit; qui ardor tantum eum medullitus pervasit ut, etsi puella alii viro nupserit, numquam amatae imago ex poëtae animo excesserit. Tunc inde effluxere versus et poëta, *sacro percitus oestro*, se totum sensusque animi mollioris motusque patefecit:

*Hat dich die Liebe so kleinlich gemacht,
Die Liebe, sie hebt dich wieder.*

(*Neue Gedichte*).

Quum enim Heinii amatoria carmina, sive per otium sive de industria lego, magna laetitia et libera quadam animi oblectatione perfundor; illa colorum pulchritudo, illa imaginum venustas, in quibus velut nimbo circumfusa amatae imago exstat, illa tamquam conspiratio consensusque et florum et avium et nemorum, ille denique luscinae concentus, qui per omnia carmina personat, ea sunt ornamenta ac deliciae, ut me magnopere mulceant teneantque. Seligo autem ex libro Gauthiezi, quem supra nominavi, nonnullas sententias Heinianam excellentiam in poësi amatoria confirmantes (iuvat vero id animadvertere, Heinium non esse a vulgari intelligentia remotum, quin immo illum simpliciter et secundum naturam scribere, idcirco eius poësim candidam esse, quippe quae ab ipsa natura res imaginesque derivet): « *Il (Heine) est le premier poète d'Allemagne* » ; « *l'étranger même peut sentir, dans cette langue incorruptible et magnifique, les dons de ce génie précis, profond, d'une forme parfaite et d'un goût presque toujours sûr* » ; — « *or, ce recueil, (Buch der Lieder) c'est un chef-d'œuvre...* » ; — « *il savait posséder cette magie suprême de la poésie véritable: l'art de la concentration* » ; — « *c'est le Livre des Chants, le Buch der Lieder, éternel honneur du lyrisme allemand* » ; — « ... c'était un chef-d'œuvre, pourtant, ce petit bouquin de trois-cent soixante douze pages. Le reproche qu'on lui faisait, d'être trop voisin du lied populaire, c'est le principe même de sa valeur et la cause de son éternité... » ; « *jamais on n'oubliera que ce poète fut le plus grand poète d'une des passions maîtresses qui éternisent l'être humain: l'amour, le désespoir d'amour...* ». Quibus sententiis necesse est ut astipulemur; iure enim hodie, omnium iudicium consensu, affirmatur nihil dulcissimus, nihil elegantius, nihil omnibus numeris absolutius his carminibus inveniri posse, idcirco Heinium monumen-tum aere perennius exegisse.

In capitibus quae sequuntur, Gauthiezius et vitae et studiorum et munerum Heinii cursum evolvit: tali modo poëta, qui vere variis casibus iactatus fuit quique, ubicumque est moratus, difficilis et, ut ita dicam, morosi ingenii signa quam plurima reliquit (ecquem latent, ex. gr., omnia quae sibi imposuit ob suas impares nuptias?) penitus a nobis dignoscitur.

Hoc unum doleo, quod auctor libri, cuius censuram facimus, potuerit scribere, multis de causis, scilicet vita publica et privata et natura et moribus animoque ipsius perspectis, Heinium miserum quemdam hominem fuisse! (*un pauvre homme, dans tous les sens de ce mot, et rien que cela*). Negare non possum quin ille inordinatam atque incompositam vitam degerit, et praesertim amoris odioque fuerit impotens; sed pernimum interest inter hoc et auctoris sententiam!

Ceterum, Gauthiezius, in Heinii vita ad trutinam perpendenda, praeiudicata quadam opinione in Iudeos atque Iudaismum, huc illuc inspersa, utitur duce: quae res efficit ut, etiamsi Heinium, poëtam amatorium, admiratione celebret, in eum privatum severe acerbum se praestet. Nec silentio praetermittere possum, in indice confiendo, eorum, qui plurimum ingenii sui atque opera in heiniana studia contulerint, vel Heinii vitam accurate narrantes, vel eius artis et poësis occulta et prope dixerim miracula patefactentes, Italos tantum illum neglegere et omittere potuisse! Atqui apud nos magno amore colitur Heinius; nec desunt optimae conversiones optimaque et eruditissimae disputationes de eo, ex quibus primas memoratu dignas illas Bonardii non iniuria esse censeo.

Scribent Beneventi, kal. Jul. a. MCMXIII.

MARCUS GALDI.

DE LEONE XIII P. M. COMMENTARIUS⁽¹⁾

Ad aegrotantium subsidium atque ad iuvenum utilitatem aere conlati domum constituit alendisque atque docendis. Quibus omnibus non se modo, sed suam quoque substantiam devolverat. Ad haec, ut sui inteligerent quam magnum vectigal sit parsimonia, suo consilio, princeps fortasse in Italis, mensas commodiores cum usura condidit, ubi modicus quisque pecuniam fenori daret. Sciebat enim vir prudens, annonam nunquam ingravescere iis, qui sibi tempestive consulunt; idque suis altius persuaderi studebat. Si qua casu adsurgeret ex improviso necessitas, ei rara prudentia erat adiumento, et omnibus plagis remedium sagaciter ferebat. Ad omnia veluti cumulus accedit, quod, saeviente hieme, instituit vulgo *le cucine economiche*, ubi tunicatus popellus atque opifices parvo quidem pretio sibi atque familiae succosius pulmentum invenirent.

(1) Cfr. num. sup.

Sic omni cuique suorum necessitati levamini erat. Quamobrem omnes eum in oculis ferebant, et ipse Perusium, ceteris posthabitibus urbibus, deamabat. Quum Pius IX P. M. devexa iam aetate, Perusinorum Episcopum volens ad latera sua, ut saepius prudenti eius consilio uteretur; *Camerlengum* quem dicunt, elegit, et tamen est permissum ut Perusii usque maneret. Quia in re, uti opinor, non modo dignitati serviebat, sed etiam tranquillitati, quum suspicione quoque vitaret invidiae. Quo fiebat, ut eius observantia omnibus esset earior, qui eam officio, non timori neque spei tribui viderent.

Sed quum primum vox allata est Perusium, defuncto Pio IX, ipsum renuntiatum esse Pontificem Maximum, omnes cives dolere, ingemiscere et maestos esse, ut in communi parentis luctu fieri solet; Romani vero, qui mentem novi Pontificis novissent, laetitia gestientes et gratulabundi precantur ut in augusta Sede diu placi-deque populo christiano intersit.

Quid dicam? Laetabor et ego, quod et per omne tempus quo Leo XIII ad rerum gubernacula sedit, ipse et Perusium unum atque idem sonabant: adeo erant mutua atque eximia honoris et voluntatis benevolentia devincti! Ac propterea et ego aptissima haec eius carmina promam:

Laetare, Etrusca civitas,

Tanta refulgens gloria:

Attolle centum gestiens

Caput decorum turribus. (2)

X. — Leo XIII, Pontifex Maximus.

Novus nimirum Pontifex Maximus, opimis iam spoliis onustus undique relatis, multis comitantibus Cardinalibus stipatus ad nos venit, nobis a Deo omnia fausta adprecaturus; ei obviam effusis una voce adclamandus:

Adgredere o magnos, aderit iam tempus, honores! Quo die Ioachimus Peccius Pontifex est Maximus renuntiatus suffragiis Cardinalium, ipse sudore diffluens, pallore conspersus adparuit. Tunc Donnetus, Cardinalis idemque archiepiscopus Burdigalensis haec tacite auribus electi mussitavit: « Macte animo, iam non de Te hic agitur, sed de Ecclesia, imo de universo terrarum orbe! »

Sic semper res erit cum de Pontifice Maximo Nomini Christiani agitur. Non enim Ipsum fugiebat quam humanae fragilitati sit pondus formidandum Romani Pontificis auctoritas omnibus scilicet temporibus, sed maiorem in modum illis, quibus, animis infensis, magnum in eius sacrum Principatum bellum exardesceret, et omnes fere populi a voluntate Pontificis dissentire viderentur.

Quis in tot rerum difficultatibus amplius animum sustulit, quam Pius IX, qui paullo antea fato cesserat; quis tam invicta fortitudine hostium audaciam fregerat, quis demum tot insignes de ipsis triumphos retulerat?

(2) Sic ipse Leo XIII in Hymno ad sanctum Herculanum.

Haec secum Peccius mente volutans, trepidus omnino ad suprema rerum catholicarum gubernacula accedebat.

Incredibile dictu, quo erat tune orbis terrarum, ne-dum Roma, moerore afflictus, cum sanctissimus Pontifex, vita perfunctus, flebilis omnibus ad caelestes ad-volaverat. Omnes enim paullo antea praesentia sua, et quamquam iam infirmo corpore, vegeta tamen mente, hilarare solebat, qui ipso vivo minus res humanas sentiebant divinasque modo respicientes. Illo enim quis clarius? Vix Pontifex Maximus renuntiatus, a motuum civilium oblivione, clementiae laude inclarerat, et omnes circa populi, concordi plausu, eum restitutorem felicium saeculorum salutarunt. Quot postea labores, quotque angustias a nefariis passus est! Pietate insig-nis Virginem matrem ab origine immaculatam, magno Patrum Cardinalium Episeporumque numero stipatus Romae, cunctis esse credendam solemniter decrevit.

Ut hostes christianorum uno ictu contunderet erorumque tenebras discuteret, romano ausu, sapiens veritatis magister magnum Romae Concilium cogi iussit atque in ipso Petriano Templo ad aedes Vaticanas. Sic enim lumen veritatis recentioris pravitatis errores iis verbis percultit, quae liberrime ad extremos terra-rum fines aeternum duratura perrumperent.

Novo anno exidente octingentesimo octavo et se-
ptuagesimo supra millesimum, parenti optimo, faustis omnibus et donis gratam suam voluntatem Italiam cum omnibus bonis testantibus, per Urbem primum vox fertur incerta atque vaga, mox latissime percrebrescit Pontificem Maximum gravi morbo interceptum, magno in periculo versari, imo in eo esse ut animam exhalet.

Tum omnes, vel incerti gravi moerore perculti, ad Vaticanum adcurrere, anxius quaerere quo se habeat modo Pontifex, an sit ei periculum certum, an sit proxima mors.

Cum tandem sub vesperum, septimo idus februarii eodemque anno, sanctissimis religionibus rite perfunctus, Pius IX diem obitum supremum, timor et moestitia irruit in Urbem. Nec vero iam remisso animo quisquam omnium fuit, qui ea nocte conqueverit. Tanta erat summa rerum exspectatio, quid Cardinalibus, quid Ro-mae, quid demum universo terrarum orbi accideret, qui quosque eventus exspectarent.

Ioachimus Peccius iam non Cardinalis sed Pontifex Maximus, attonitus, confusus, haerens animo, nihil in praesentia respondendum putavit archiepiscopo Donneto, qui eum submisso monebat, ut munus sibi divinitus demandatum laetus sumeret festinanterque exornaret. Sed oculis ad caelum conversis, adstitit diu si-lens atque gravibus in illis rerum adiunctis immotus, quasi a Deo consilium postularet.

Certus postea pro Ecclesia omne obiectare periculum, supremam Ecclesiae auctoritatem animis refectis in nu-mine caelesti adsumsit, atque in obsequium Leonis XII, cuius fortitudinem admodum adulescens adprobaverat, vocari iussit eius nomine, Leo XIII. Ut primum Romae

nuncium pervagatum, omnium consensu festive accipitur, ac subito incredibili civium laetitia percrebrescit. Ei enim ob animi aequitatem, atque imprimis studiorum sapientiam et in litteris latinis elegantiam praecipuus honos habitus est; quibus rebus omnibus, opera eius magni futura esse repetatur. Itaque nemini fuit illis praesertim temporibus dubium in eius potestate maximam gloriam vel eo nomine rem christianam mereri posse.

Et reapse etsi res erant adflictae, cum primum tam regnare coepisset, eo est animo munus adgressus, ut non quaerere videretur ubi ipse tuto viveret, sed unde praesidio posset esse commissae sibi Ecclesiae. Et primum quidem in ipsis laudibus, quas ex more ad Cardinales recitavit de Pio IX, ea fuit dignitate verborum sententiarumque elegantia atque altitudine, ut omnes spiritus recrearentur. Plerique futurum quasi praesagientes, cum novus Pontifex referret quodammodo defunctum, una voce dicebant, ut animum ei adderent:

Tu longe sequere, et vestigia pronus adora!

Iuvat ipsum magno ore sonantem alloquenter Patres Cardinales audire :

« Virtutum suarum splendore - aiebat - hanc Apostolicam sedem illustravit, et universam Ecclesiam amore atque admiratione sui complevit. Insignis ille Catholicorum Rector, qui pro veritate et iustitia invicto semper animo certavit, magnis laboribus in christiana republica administranda fuit in exemplum perfunctus».

Ipse peritissimus iuris humani eiusdemque divini et percomis omnibus est vel ab initio probatus. Omnes eum praedicant acceptam a maioribus gloriam multis augere virtutibus, disertum esse, impigrum ac multarum litterarum peritum, neque minus civitatis regendae.

Sed propius rem adgrediamur.

Ab amicitia Pontificis Maximi, sic tristia tunc tempora se ferebant, omnes fere respubliae defecerant, et ipse statim, usu rerum sapientiaque praestans, ita effecit, ut in omnibus esset spes ut amissa cito possent recuperari. Primum utile est arbitratus, hostes, ut ita dicam, insequentes supprimere.

Gallia, post insignia vulnera in bello Borussico accepta, iterum valens, multa moliebatur, et amicitiam cum Pontifice Maximo vix retinebat. Populus enim ille in primis acer, suspicax, ob eamque rem, mobilis, adversarius, invidus, Oratorem Pontificis remisit, accusatum propemodum proditionis.

Hispania contra omnibus praestitit in obsequii munere erga Pontificem obeundo; mox et Lusitania natio, praeceuntibus regibus.

Belgae, ad quos antea fuerat Nuncius, ut aliquod erga Eum coram omnibus adstaret venerationis antiquae atque voluntatis testimonium, incredibili omnium ordinum frequentia, Romam peregrinantur gratulabundi ac Pontifici omnia fausta ominantes.

In signum pietatis non ultimus venit Franciscus Iosephus, Austriae imperator idemque Hungariae rex,

ut ita rei Christianae laboranti volens adesset et propitius.

At minax instabat agmen Caesaris recentis Germanici, universum imminebat, opera potissimum Othonis Bismarck, qui summam omnium rerum potestatem facile obtinebat. Hic unus multum impedivit, saepeque pacis consiliis obstitit. Acerbitatibus Parentis christiani, praeter omnium expectationem subvenit primum quaedam solida hominum compago, cui datum est nomen, Italorum more, *Centrum*, a loco ubi plerique in publicis consiliis adsidabant, pugnaces atque illius conatibus in fidem obstantes; et pari quoque felicite in ea re ita se gerere coeperunt, ut maiores in dies appeterent res. Namque Bismarckus cum factiosior esset atque audacior, sic sibi indulsit, ut eius potissimum opera, in maximum odium Germanicis sociis Borussi pervenirent. Ipsius nutu omnia geri palam omnes praedicabant. Cuius de feritate et perfidia satis est referre in religiosos homines legem tulisse qua omnes ex imperio essent expellendi. Ad incitas iam iam res reductae videbantur, cum Deus virum excitavit, qui adhuc paene ignotus, mox ardenti religionis studio atque eloquentiae omnibus fit carus acceptusque.

Hic enim superbissima Bismarck imperia aspernatus, Ecclesiam libero ore cum veritate defendit, ab iniustis criminationibus vindicavit. Tunc aequales didicerunt, Germanorum pietatem erga Pontificem Maximum tam altis defixam esse radicibus, ut non paucorum vafritia, commodis suis unice inservientium, non impiorum voce, non imperatorum minis labefactari posset. Sub Windhorsti ductu atque consilio complures oratores a populo delecti legibus ferendis atque annuis vectigalibus decernendis, veluti agmine facto, propositi tenaces, invictam excelsi animi firmitatem retulerunt et communem christiani Nominis hostem contuderunt. Et ipse in exemplum maxime enituit, divinam Ecclesiae compagm, quae xix saeculorum consilio et virtute coaluit, convelli sine exitio convegentium non posse.

Namque superbissimus ille administer, tot triumphis impotens, quibus tanta tamque subita virium accessione ad summam altitudinem brevi iam pervenisse videbatur, ad meliora ducitur, quod Deo sic disponente, ex improviso fortuna saevire, eiusque consiliis coepit obluctari. Bismarckus sic, quem feruum adpellitare vulgo populi consueverant, et praedicabant supremam vel de re religiosa auctoritatem regi suo fuisse erupturum, innumeris difficultatibus circumventus, ut Hannibal a Scipione dicitur petisse, ipse a Leone XIII solemniter itemque omnibus gentibus admirantibus demisse pacem postulavit.

(Ad proximum numerum).

SUBALPINUS.

DE AULAEIS

QUAE VULGO "ARRATIA", NUNCUPANTUR

De aulaeis nonnulla hodie scribere aggredior, non quae uti stragula in lectis, vel peripetasma pro laeunariibus aut in scaena maiores adhibebant; verum de rectagonis iis, thesauro regio dignis, quae a media quam dicimus aetate, ad nostros usque dies, celebrimorum artificium tabulas aemulata sunt, atque arduo incognitoque prius filorum magisterio, differenti colorum specie ac varietate intextorum, terras, pontum, virorum



Gobeliniatum auleum Amalecitarum pugnam referens.

ac mulierum imagines, pugnas, fabulosos aut historicos eventus, atque etiam interiores Franco-Belgarum aedium partes, escariis vasibus ex cyprio aere lucentes, initio reddiderunt. Atrebate ex urbe primum huiusmodi aulaea confecta putantur, exque gallica ipsius urbis voce Arras, *arazzi* nomen vulgo coepisse, quorum celeberrimi artifices ac magistri Gobelins fratres evasere.

Non tamen primae « arratiorum » - (sit venia latino heic hodie conflato verbo) - peculiari officinae Lutetiae Parisiorum saec. xv inter vicum Mouffetard torrente Bièvre positae, fortuna arrisit; non enim eam Rabelais ille mordaci carmine tantum perstringebat, sed Panurgius calumniosam historiam in populo circa ipsam diffundebat, rubrum in aulaeis illis a nullo homine prius adhibitum neque facile imitabilem colorem maleficio tribuens. Itaque Gobelins artifices in ius vocati sunt,

iisque ex facto praestandum fuit colorem ipsum a peculiari quorumdam salium, quibus Bièvre torrens abundabat, saturationi deberi!

Arratiorum fama, pretium et usus eo in Gallia crevit, ut Aloisio XIV rege, auctore Colbert administro, civilis de re industria constituta fuerit, impensisque publicis schola condita, quam, in rerum publicorum illa occidentis saeculi xviii summa perturbatione, Maratus primum, ac deinde Robespierre aboleverunt. Sed Napoleo consul arratiorum arti avitum honorem reddidit: quem restitutum Gallorum imperium auxit, aulaea innumera aptis artificibus committens, imo, an. MDCCXLVIII, antiquam scholam restituens.

* *

Ex Flandria arratiorum artifices in Italianam quoque transmigrarunt: quae huiusmodi artis, non minus quam ceterarum, digna sedes facta est. Venetiis circa dimidium saeculi xv inventa arratia sunt a Ioanne Brugensi atque Valentino Atrebateni; deinde Ioannis Rost ibidem invenitur, tamquam de re « procurator Ecclesiae S. Marci ». Ferrariae, an. MCDXXXVI ducali aulae ad aulaea reficienda novoque stilo efformanda addicitur « Iocomus de Flandria de Angelo », et an. MCDXLI « Magister Petrus de Andrea » ex Flandria et ipse. Florentiae Lavinius Giglius Brugensis primus, uti videtur, hanc artem excercuit,

qui apud « Artium Priors » laudibus effertur tamquam « vir utique probus et artifex excellentissimus in contexendis mirabilique artificio figurarum componendis pannis thapetalibus ». Revera is comunalium aedium parietes per mille ac trecenta brachia quadrata operuit tam pulera ratione tamque conspicuis figuris, ut iis « solum spiritus et vox deficere viderentur et vera corpora dici possent ».

Anno MDLVI, auspice Cosimo I e Medicea gente, publicus aulaeorum discendorum ludus Florentia ipsa in civitate aperitur, eique praeficiuntur Ioannes ille Rost, qui Venetiis hucusque fuerat, et Nicolaus Kerber, hisce positis conditionibus, ut scilicet optimos artifices sibi adsciscerent; tamquam tirones admitterent iuvenes omnes ex Hetruria, qui artem percipere vellent, neve fas esset illos nisi probante Principe dimittere; ut deinde toto animo ac studio operam suam, congruo tri-

buto pretio, non solum in schola darent, sed ubicumque Principi placeret. Sic Mediceorum urbanae aedes et rura locupletata et ornata sunt splendidis illis pannis,



Arrarium primum ab Italis artificibus Florentiae contextum.

ex aureis, bombycinis lanisque filis contextis, quos etiam nunc admiramus; atque Italici quoque clarissimi artifices habitu sunt Franciscus de Pescina, (a. MDXLIX) Michaël Sopelli, Bastianus Sconditi, Guaspar Papini Bartholomaei filius, Ioannes Pollastri, Ioannes ac Stephanus Termini, Bernardinus Masi, Matthaeus Benvenuti, Nicolaus Bartoli, Leonardus Bernini, Victorius Demignotti, Ioannes Sagrestani.

Ioannes Gastonius, Magnus Dux, ultimus arratiorum artis Moeccenas, in Hetruria recensendus est; eo demortuo, Franciscus Lorenensis, in imperii procriptionem suffecitus, an. MDCCXXXVII, publicam arratiorum officinam clausit.

Tusci artifices tunc hue illuc discesserunt; nonnulli sedem Neapolis posuere, a Carolo III e Borbonica gente liberaliter

excepti. Quamquam Ferdinandus I, qui ei successit, vere Neapolitanae arratiorum scholae conditor exstitit, sub eoque aulaea Cervantesii, hispanici poetae, herois gesta referentia fabricata sunt, quae tum perfectione operis tum Gallicis inscriptionibus in ambiguo fuit, utrum Gobeliniensi officinae potius tribuerentur. Sed Neapolitana schola et ipsa cessit an. MDCCCLIX.

Romanorum Pontificum erat hoc etiam decus Italiae servare. Iamque Leo PP. X Raphaëli Sanctio commisit ut historias ex Novo Testamento exque Apostolorum actis depromptas lineis describeret totidem arratis redendas, quae reapse summa arte Atrebate confecerunt Van Orley atque Michaël Coxe, et adhuc in Vaticano asservantur. In illam arratiorum viginti ac duorum seriem admiratione percussus Franciscus Card. Barberini, Urbani VIII Pontificis nepos, utile, imo necessarium duxit officinam quae cum Atrebateni, Parisiensi ac Florentina certaret, Romae condere. Arcesitus inde in Urbem Florentia est, unde Barberiniana familia et ipsa repetebat originem, Iacobus de la Riviera, qui secum aliquot egregios peritosque discipulos duxit; splendidisque in aedibus Barberinianis Romae ad collegium Quirinale tunc arratiorum prima urbana fabrica collocata est, unde centum et ultra pretiosissima aulaea edita sunt, quae inter et Constantini Imperatoris cognomine Magni, et Urbani VIII Pontificis gesta referentia. Urbano VIII vita functo an. MDCXLIV, non operis qualitate atque artificio, sed numero, Barberiniana officina aliquantum defecit. Brevi tamen; nam ineunte saeculo XVIII Clemens PP. XIII splendidiore loco atque cultu in magno illo apostolico hospitio S. Michaëlis ad Ripam



Barberiniana officinae aulaeum Constantini Magni navalem pugnam referens in Chersoneso Thracica pugnatam.

trans Tiberim eam posuit, eique praefecit Victorium de Mignò, tunc temporis arratiōrum artificem celebratissimum. Qui successerunt Pontifices eidem scholae stimulum omnes verbis ac re addiderunt; nec frusta eius enim nomen per orbem universum ad nostros usque dies summis laudibus manavit. Quum denique, post an. MDCCCLXX, S. Michaēlis hospitium una cum adnexis artiūm scholis in Italici gubernii dicionem cesserit, nova a Leone XIII Pontifice arratiōrum fabrica in ipsis Vaticanis aedibus constituta est, Petro Gentili eam etiam nunc moderante, arratiōrum artis, quam a maioribus suis, in hospitio S. Michaēlis magistris, excepit, cultore et ipso probabili, illustratore et historico.

Sic ipsa ars, Pontificum praesertim opera Italorum facta, nobilissimam gloriosamque saeculorum traditionem in Urbe servat, fovet, alit.

FORFEX.

QUAESTIONES PHILOLOGICAE

Unde eadem vocabula cum „in“, composita, modo positivā, modo negativā significationem habeant?

Quaestio hodie proposita similis est eius, quam quondam de Graecorum *a* negativo et *a* intensivo tractavimus; (1) atque res maxime mira est, quaestionem hanc graecarum vocum ope solvi posse et solvendam esse; quae duae voces sunt altera particula *ne*, sed non ea, quae pro *nai*, (nae) usitatur; altera praepositio *en*; quarum prior cum vocabulis coniuncta significationem rerum, ut scimus, negat; posterior servat, aliqua ex parte eam nonnisi definiens. Quare illa latīnae particulae negativae «*ne*»; haec autem latīnae praepositioni «*in*» respondet.

En exempla composita cum *ne* negativo: *nepios* (ex *ne* et *epo*) idem proprio est, quod latīnum «*infans*» (pro *nefans*), compositum ex «*in*» negativo et «*fans*», quod inusitatū est participium verbi «*fari*», unde *nepia tecna* de pullis passerum (Hom. *Ilias*, II). Eiusdem generis exempla praebent etiam *necerdes*, (non lucrosus), *neceros* (non cornutus), *necestos* (insanabilis), etc.

Composita cum praepositione *en*, ut latīna cum praepositione «*in*», innumerabilia sunt, ut *endidomi* (in manus do), *endoccos* (inclitus, celeber), *endrome*, (in cursus, impetus), *eneimi* (insum), etc.

Quid igitur illis exemplis edocemur? Id, quod iam supra est notatum, Graecorum *ne* respondere particulae latīnae negativae «*in*», *en* autem praepositioni «*in*».

De praepositione *en* «*in*» res facile clarescit; sed quo modo etiam *ne* negativum particulae latīnae negativae «*in*» respondet? Qua ratione rem explanemus?

At ratio clarissima est. Satis est vocabula latīna negativa cum «*ne*» composita respicere, ut «*necessarius*» (res necessaria ea est, quae *non cessat*), «*nemo*» (ex ne-homo-homo), «*nefas*» (unde iam *nefandus*, *nefarious*), «*nefrens*» (ex *ne* et *frendo*), quod de porci usitari potest, «*nequeo*», «*nescio*», «*nevis*» aut «*nevult*» (pro *non vis*, *non vult*, ut apud Plautum); nonne iam perspicuum est latīnam negationem «*ne*», ut, inter alias Gallorum «*ne*», Slavorum «*në*» (nie), eandem esse, quam Graecorum *ne*? Eam autem negationem in vocem «*in*» saepe mutatam esse facile intellegitur, si animadvertisimus exempla, ubi «*ni*» pro «*ne*» pronunciatur, ut «*nisi*» pro «*ne-si*», aut «*nihilum*» pro «*ne-hilum*» (ex *ne pilum*, ut Cic. Att. 5.20.6, *ne pilum* quidem). Quid enim hominibus obstabat, quominus euphoniae, aut alii rationi satisfacientes, litterarum metathesim adhiberent et pro *ni* pronunciarent «*in*», ut id in variis linguis et populis nobis occurrit? Iam Graeci aut *cartostos*, *cartos*, aut *cratistos*, *cratos*, pronunciabant; Polonorum plebs pro *koldra* dicit *kordla*; pro *wilk* (lupum) vocat *wlik*; quod etiam rectius et rationabilius est; nam radix graecae vocis *lucos* cum digammate *flucos* est.

Itaque etiam Latini pro *ni*, saepe pronunciabant *in*; quod videmus in eiusmodi vocabulis, ut *infandus* (ex *nifandus*) pro recto *ne fandus*, quorum utrumque in usu est; *integer* pro *niteger* (*neteger*); *ingratus* (pro *nigratus* — *negratus*).

Qua dupli natura vocis «*in*» cognita, iam facile intelligitur, quare vocabula cum «*in*» ut graeca cum *a* (*an-am*), composita modo positivam modo negativam significationem habeant, quod praeter alia sequentibus exemplis etiam evidentius probare liceat: *inclarisco* dico, si clarus fio, contra *inclarus* est non clarus; *inclinis* vocatur, qui se (re)clinat, aut qui se non clinat; *inerrantes* stellae sunt, quae non errant (Cic. N. D. 2, 21, 54), contra, memoria imaginis oculis *inerrat* (- oberrat); *inaequare* est aequum facere (CAES. B. C. 1, 27), *inaequatus* autem est non aequatus (TIBUL. 4, 1, 43); *infucatus* est fuco obductus (Cic. DE OR. vitia infucata), contra, verba *infucata*, idest non obducta fuco, sed vera audire (ARNOB. 2, 47); *infrenatus* equus est equus cum freno aut equus sine freno; *insomnium* est Graecorum *enupnion* aut *aūpnia*; cubile *instratum* dici potest, si non est stratum; equi autem *instrati* appellantur etiam clitellis ornati; *illacrimare* (pro *inlacrimare*) caedibus parentum (TACIT.) est eas deflere; *illacrimabilis* autem pro *nilacrimabilis* est *adacrutos*, qui aut non excitat lacrimas (HORAT., Od. 4, 9, 26), aut non fundit (Hor., Od. 2, 14, 6), *illaqueatus* dicitur et laqueatus et non laqueatus.

Quibus exemplis iam prorsus quaestioni satisfactum arbitramur.

Varsaviae Polonorum.

(1) Cfr. num. X, ann. MCMXI.

COLLOQUIA LATINA

Pecunia petitur; mutuo datur.⁽¹⁾

IUVENALIS. — Vis a me magnam inire gratiam, Clemens, amicorum optime?

CLEMENS. — Nihil libentius quam tibi gratificatus fuero, si quidem penes me res ipsa erit.

I. — Malo nimis omine hodie cum vicinis non nullis ludere volui: omnem amisi pecuniam.

C. — Numquid crumenam tibi praecedit?

I. — Lubet tibi ridere; mihi non item.

C. — Quidni?

I. — Exhausti sunt loculi perdendo.

C. — Quo lusu certasti?

I. — Ut hodie ego scopulum transfixerim. Ira scor mihi quum recogito. Non secus deerravi ac si captus fuisse oculis.

C. — Sed quid est in quo tibi commodare possum?

I. — Da mihi mutuam libellam unam, plus minusve.

C. — Non tantum nunc habeo praesentis pecuniae.

I. — Quantum, quaeso?

C. — Nescio nisi crumenam inspexero. Ecce tibi centesima sexaginta.

I. — Da mihi mutuo dimidium, nisi incommodum est.

C. — Totum, si usus est, accipe.

I. — Inurbanus sim si te prorsus pecunia spoliavero.

C. — Hodie non egebo: universam accipe.

I. — Accipiam ergo; sed quod sine incommodo tuo fiat.

C. — Ne verere.

I. — Amo de te, ista tam prompta benignitate.

C. — Si quid aliud poscis, ne parcas.

I. — Reddam tibi obolum, Deo volente, quum primum eras te video.

C. — Illam mitte sollicitudinem: nondum est opus mihi.

I. — Nolo esse in alieno aere: ego vero reddam, nec sine foenore.

C. — Apage! Ego domum me confero. Vale.

I. — Ego sodales revisam ut lusum repetam.

C. — Faxit Deus, ut meliori auspicio iteres.

I. — Alit ludentem spes victoriae; et ipsa dies quandoque parens, quandoque noverca est. Vale in crastinum.

(1) Ex dialogorum libro ANTONII VAN TORRE passim retractavit I. F.

Fides est fundamentum societatis humanae; perfidia vero eiusdem pestis.

PLATO, *De leg. v.*

PAROEMIAE SIVE ADAGIA

Sero sapiunt Cumani.

Id adagium refertur a Strabone (*Geograph.*, XIII), putatque eos vulgo male audisse, tamquam stupidos atque insolitos, ob hanc causam, quod ducentis annis portus vectigalia hoc nomine exegerint, ut urbem aedificant, quae dare tamen non desierunt, quum iam urbs esset exstructa. Adiicit et aliam fabulam: Cumanos, publica pecunia mutuo accepta, porticus construxisse; deinde, quum pecuniam eam ad praescriptum diem non reddidissent, a deambulatione fuisse prohibitos. Aliquanto post, quum ingens esset pluvia, credidores ludibrii causa praecomenem misisse, qui publicaret edictum, uti Cumani porticus subirent. Atque ita voce praeconis admonitos subiisse: inde natum adagium sero sapere Cumanos, qui nonnisi moniti senserint defugiendam esse pluviam.

Notat et Stephanus Cumam atque Lesbum male vulgo audisse stupiditatis nomine. Proverbium autem non sentit de Cuma Italiae, sed Aeolidis, quae eadem dicta fuisset Amazonum et Phriconitis, aut ut Herodotus (lib. I) - Phriconis.

Simillimum illi: « Sero sapiunt Phryges »; nihil enim vetat quominus et in illos dicatur, qui nonnisi suo malo docti parent recte monentibus.

Quid, si caelum ruat?

Ironia proverbialis in eos, qui tutissimis etiam in rebus ridicule timent. Hoc unde manarit, Aristoteles indicat in *Physic.* lib. V scribens priscis illis et rudibus mortalibus persuasum fuisse, caelum hoc, quod videbant imminere, Atlanticis humeris sustineri; quod si ille subduxisset, fore ut sublimi in terram decideret. Idque non solum poetarum figuris fuisse proditum, verum etiam a physicis nonnullis affirmatum.

Plutarchus in libello de facie quae appetit in orbe lunae, citat Phœnacem quendam, qui metuerit ne luna decideret in terram, quique commiseratus sit vicem eorum, qui lunae forent subiecti, cuiusmodi sunt Aethiopes ac Taprobani, si tantum pondus in eos rueret; idem veritus de terra caeloque, nisi columnis Atlanticis fulcirentur.

Theognis haec de re habet, quae latine sonant: *Deinde meo vastus capiti illabatur Olympus Ferreus, antiqui quod metuere viri.*

Ac Terentius in *Eautontimorumenos*: « Quid si redeo ad illos, qui aiunt: Quid si nunc caelum ruat? »

Allusit hic denique Horatius in *Odis*:

*Si fractus illabatur orbis,
Impavidum ferient ruinae.*

Suam ipsius umbram metuere.

Suam ipsius umbram metuere dicuntur, qui pueriliter trepidant, ubi nihil omnino sit periculi. Translatum vel ab iis, qui, forte conspecta corporis sui umbra, subito expavescunt; vel a melancolicis quibusdam, qui, auctore Aristotele, propter oculorum imbecillos spiritus, in aere proximo veluti suam quamdam imaginem contemplantes, arbitrantur sese suos videre manes. Socrates in *Phaedone* Platonis: «Tu vero tuam, quemadmodum dici solet, metuens umbram, id est tibi ipsi diffusus». — Quintus ad Ciceronem de consulatu petendo: «Alter vero, quo, dii boni, splendore est? Primum nobilitate eadem, qua Catilina. Num maiore? Non, sed virtute. Quamobrem, qui manum umbram suam metuit, hunc negliges quidem». (1)

Nimium tendendo, funis abrumpitur.

Ex Graecis inductum proverbium in eos dici solet, qui dum extrema experiuntur, alienant a se eos quibuscum agunt, et universae rei iacturam faciunt, dum plus satis attenti sunt ad lucrum. Sed generaliter trahi poterit ad quemlibet conatum immodicum et ob id in malum aliquem erumpentem. Nec abhorret Mimus ille Publianus:

Furor fit, laesa saepius patientia.

Atque alter huic consimilis eiusdem creditur, etiam si Senecae nomine feratur: «Bonus animus laesus gravius multo irascitur».

Momo satisfacere.

Hesiodus in *Theogonia* Mom'i cuiusdam meminit, quem ait Nocte matre, Somno patre progenitum. Huic deo mos est ipsum quidem nihil operis edere, sed aliorum deorum opera curiosis oculis contemplari, et si quid est omissum aut perperam factum, id summa cum libertate carpere. Atque *Momos* graece reprehensionem sonat.

Aristoteles autem (*De part. animal.*, lib. III) Momum inducit naturam incusantem, quod bobus cornua in capite ac non in armis potius addiderit, videlicet quo vehementius possint ferire.

Momi etiam Lucianus cum aliis compluribus locis meminit tum in *Dialogo de haeres.*, huiusmodi quamdam de eo fabulam referens: Minervam, Neptunum et Vulcanum de principatu artificii inter se contendisse; et, ut quisque artis suaee precipuum aliquod specimen ederet, Neptunum taurum quemdam finxisse, Minervam domum excogitasse, Vulcanum hominem composuisse. Momus delectus arbitrus certaminis et artis expensor. Ille, inspecto uniuscuiusque opere, praeter alia, quae in reliquorum operibus reprehendit, illud potissimum in

hominis opificio notavit, quod artifex non in pectore fenestras aut ostiola quaedam addidisset, quo perspicere posset, quid in corde lateret, quod illi speciosum alioqui, multisque recessibus sinuosum finxisset.

Hic igitur Momus varias adagiorum formas suppeditavit. Vel quum Plato (*De rep.*, VI) scribit, philosophiae studium esse huiusmodi, ut ne a Momo quidem possit reprehendi; vel quum Cicero scribit ad Atticum (Lib. V): «Quod me maxime hortaris, et quod pluris est, quam omnia in quo laboras, ut etiam Ligumio Momo satisfaciam, moriar, si quidquam fieri poterit elegantius».

Ergo proverbii speciem habebunt omnes id genus formulae: Haud dubitem tecum vel Momo iudice decertare. — Inculpatior est eius viri vita, quam ut vel Momus ipse possit carpere. — Hanc faciem ne Momus quidem possit reprehendere. — Nec Momum iudicem recusarim; etc.

Multa cadunt inter calicem supremaque labra.

Sulpicius Apollinaris grammaticus apud Aulum Gellium (*Noct. Att.*, lib. XIII, 17) duo quaedam adagia notat, alterum Graecum, alterum Latinum; quorum eadem sit sententia: «Multa inter calicem et suprema labra cadunt». Qua monemur, nihil tam certum sperari, nec quidquam tam esse vicinum, quod non repentinus aliquis casus queat intervertere; adeoque non esse tutum venturis fidere, ut vix etiam illa sint certa, quae manibus tenemus.

Originem adagii quidem ad huiusmodi fabulam referunt. Ancaeus, Neptuni et Astypaleae Phoenicis filius, quum vitem sereret, graviterque ministris instaret urgeretque, quidam, operis taedio commotus in herum, negavit futurum ut ex ea vite herus unquam vinum gustaret. Post, ubi vitis provenisset feliciter, atque uvae maturuissent, herus exsultans ac gestiens, servum eumdem accersit, atque, ut sibi vinum infundat, praecipit. Deinde iam calicem admoturus ori, servo quae dixisset redigit in memoriam, quasi vanam reprobrans divinationem. At ille sententiam hanc hero respondit, inter calicem ac summa labia multa posse intervenire. Servili sententiae favit eventus. Nam inter loquendum, priusquam ille vinum hauriret, alter quidam minister ingressus nunciat vinetum ab apro quopiam immanni vastari. Quibus auditis, Ancaeus, deposito poculo, protinus in aprum fertur, a quo inter venandum percussus, interiit.

Interpres adagii citat Aristotelem auctorem, quum tamen de Ancaei nihil fabula meminerit; Lyco-phron alio detorsit, nempe ad Agapenorem patrem, et Ancaeum, Actoris et Eurythemistidis filium, et ad aprum Calydonium. Dionysius apud Zenodotum mavult paroemiam ad Antinoum referre, de quo Homerus in *Odyss.* XXII. Is Antinous erat unus

(1) Hic vero locus non uno modo in codicibus invenitur.

ex procis, cui, poculum tenenti iamque bibere paranti, Ulysses ingulum telo transfixit. Atque ita, manibus elapso poculo, concidit, atque interiit.

Flamma fumo est proxima.

Exstat apud Plautum in *Curculione* adagium, id commonens, mature fugiendum esse periculum; quique malum evitare cupiat, ei vitandam prius occasionem. Ut qui corrumpi nolit, ab improborum abstineat consuetudine. Nam et illud protinus addit poeta: « Fumo comburi nihil potest; flamma potest ». Fumus enim indicium est flammæ mox eruptuae.

EX SACRIS CONGREGATIONIBUS ROMANIS SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE

Ex Congregatione de Religiosis.

De manuscriptis Religiosorum.

Religiosi tum votorum solemnium, tum votorum simplicium, qui aliquod manuscriptum durantibus votis exaraverunt, eiusdem dominium non habent, ita ut il- lud donare aut quo cumque titulo alienare valeant.

(Ex decr. d. XIII mens. Iulii MCMXIII).

Ex Congregatione Rituum.

I ecretum de precibus in fine Missae recitandis.

A nonnullis locorum Emis. Ordinariis, Saer. Rit. Congregationi sequens quaestio, pro opportuna solutione, proposita fuit; nimirum: « An, attentis S. R. C. decretis n. 3697, *Ordinis Min. Capucinorum*, 7 Decembr. 1888, ad III, de Missa Conventuali sine cantu; et n. 4271, *Baionen.*, 8 Iunii 1911 ad II, de Missa votiva lecta S. Cordis Iesu prima feria VI eiusvis mensis, etiam aliqua similis Missa lecta, ex gr. occasione primæ communionis generalis, sacrae confirmationis vel ordinationis aut pro sponsis, haberi possit uti solemnis; eique applicari valeant praefata de creta quoad preces in fine Missae, a Summo Pontifice praescriptas, omitendas? » Et Saer. Rit. Congregatio, auditio Commissionis liturgicae suffragio, omnibus accurate perpensis, ita rescribendum censuit: « Affirmative, si Missa cum aliqua solemnitate celebretur, vel Missam, quin celebrans ab altari recedat, immediate ac rite subsequatur aliqua sacra functio seu pium exercitium ».

(D. XX mens. Iunii MCMXII).

DIARIUM VATICANUM

(Mense Augusto MCMXIII).

Coram SSmo. admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliosque viros, qui sui quisque munericis gratia Pontificem de more adiverunt, SS. D. N. per mensem Augustum coram se ad misit peregrinorum agmina ex Dalmatia, ex Hetruria, ex Sardinia exque Cenedensi dioecesi.

Pontificiae electiones.

Provisio Ecclesiarum. — Per S. Congregationis Consistorialis decreta ecclesiis proprio pastore, viduatis, provisum est prouti sequitur: Titulari ecclesiae Castabaldensi praefectus est sac. Marcus Zapata, archidiaconus catedr. eccl. S. Ioannis de Cuyo, auxiliaris constitutus revm. d. Iosephi Americi Orzali, episc. S. Ioannis de Cuyo; cathedrali ecclesiae Casertanae revmus. d. Marius Palladino, hactenus episc. Isclanus; cathedrali eccl. S. Severini revmus. d. Adam Borghini, hactenus episc. tit. Carpasiensis; cathedrali Adriensi sac. Anselmus Rizzi, dioecesis Mantuanae, ibidem parochus loci vulgo Ostiglia; tit. eccl. episc. Gerarasensi sac. Carolus Iosephus Eugenius Ruch, vicarius generalis Nanceyensis, Coadiutor constitutus cum iure futurae successionis revm. dni. Caroli Francisci Turinaz, episcopi Nanceyensis; cathedralibus ecclesiis Parentinae et Solensi sa. Tryphon Pederzolli, parochus eccl. S. Antonii thau- maturgi in civitate Tergestina; cathedrali eccl. Peterboroughensi sac. Michaël Iosephus O'Brien, parochus ecclesiae SSmi. Cordis in urbe Peterboroughensi; cathedrali eccl. Florianopolitanae sac. Ioannes Borges Quintão, Congregationis Missionis et rector santuarii Curitybensis de Parana; cathedrali Hajdudoroghensi graeci ritus sac. Stephanus Miklósy, parochus loci vulgo Satoraljanjhely; tit. eccl. episc. Castoriensi sac. Franciscus Gossmann, canonicus cathedrali eccl. Vaciensis, Auxiliaris constitutus rmi. dni. Caroli Emmanuelis Csaky, episc. Vaciensis.

Brevi autem Apostolico nominati sunt: Episcopus titul. eccl. Adrahensis et Vicarius Apostolicus novi Vicariatus de Urubamba et Matre Dei, r. p. Raymuundus Zubieta, Ordinis Praedicatorum; Vicarii Apostolicui Cameronensis Coadiutor cum iure futurae successionis rev. dnu. Franciscus Henne- mann, Societatis Missionum.

— Rmo. dno. Carolo Francisco Turinaz, amplioris ho- noris causa, conlatus et additus personaliter est a SSmo. archiepiscopalis titulus Antiochiae de Pisidia, retentis si- mul Nanceyensi ab eo sede, atque ecclesiae Tullensis titulo.

— Emus. P. D. Benedictus Lorenzelli inter PP. Cardi- nales Saer. Rituum Congregationis cooptatur.

— Rmi. dni. Stephanus Iulius Gazaniol, episc. tit. Mo- drensis, et Iacobus Stammel, episc. Basileien. et Lunganen. inter episcopos Pontificio solo adstantes adleguntur.

— Rr. pp. Stanislaus Federici S. I. et Placidus Lugano, ex Ordine S. Benedicti Congnis. Olivetanae, inter Patres Consultores S. Congregationis Studiorum adnumerantur.

ANNALES

Pax inter Balkanicos populos composita.

Indutias, quas in superiore numero enunciavimus inter Balkanicos bellantes populos initas, legatorum ex iis Bucarestinus conventus sequutus est, unde pax, fausto auspicio, brevi genita. Huius novi foederis vi, Cavalla urbs eiusque territorium Graeciae attributa sunt; Strumitzia Bulgariae, Varadar denique fluminis dextera ora omnis Serbiae addicta est. Neminem fugit, Bulgaria non solum ab arrogantia hue usque habita, verum etiam a postulationibus, quae non omnino iniustae videbantur, facile recessisse; quod ita absonum apparuit, ut huiusmodi ratio non aliunde explicari posset,

nisi in spe exterarum nationum interventus, ad pacis foedus hic illic retractandum.

Re quidem vera Austria primum, ac deinde Russia, eius excussionem, antequam definitive ipsum comprobaretur, postularunt: obstiterunt Germania et Gallia, dum Angliae atque Italiae haud difficile est damna opportune colligere, quae inde forent oritura, atque suadere ne quieta, tanto labore parta, nunc illico saltem moverentur. Quum igitur Gulielmus, Germanorum Caesar, litteris suis ad Carolum, Rumenorum regem, missis aperte declaravit, se ob pacis rationes definitive conciliatas ipsi gratulari, quasi gravi pondere levati, remissi omnium animi sunt atque refecti.

Interim Londinensis etiam Europaeorum legatorum coetus munus suum prosequutus est de Balkanicarum rerum, post recens bellum, nova constitutione. In postremis hisce quae habitae sunt sessionibus Albaniae fines ad meridiem positi, deque insulis duodecim quae, uti patet, in Italorum manibus sunt, Gallia quamquam repugnante, est recognitum, disceptari non licere, priusquam Lau-sannensibus pactionibus, quae Turcas inter atque Italos vigent, fuerit omnino satisfactum.

Restat Adrianopolis urbis possessio, quam Bulgari iure belli et initi foederis sibi repetunt; Turcae autem vindicant suam.

Heic etiam videtur res posse componi sine ulteriori sanguinis effusione, sed mutuo consensu bonaqua partium voluntate: quod quidem ex animo ominamur.

Mexicanum cum Septentrionalis Americae civitatibus discrimen.

Mexicanam civitatem intestinis discordiis acriter iamdiu vexari nemo ignorat. Huiusmodi rerum status tam longo tempore productus Septentrionalis Americae civitates iure commovit, quibus tot negotia cum vicino populo sunt; apud quem immot cives sui domicilium posuerunt. Itaque Wilson praeses, Lind legatum ad Mexicanum gubernium misit tamquam pacis suasorem; quae quidem non facile componi poterit, nisi Huerta imperator a procuratione reipublicae discesserit, liberum populum in comitiis relinquens novum virum ad illud officium diligendi. Sed Huerta huiusmodi sollicitationes despicere videtur, ita ut Washingtonensi coetui Wilson litteras dederit de acris rationibus fortasse in Mexicum a Nordica America adhibendis ad necessariam quietem restituendam. Quid inde? Eventus indicabunt.

Sinarum civile bellum.

Sinensium, inferiorem civitatis partem incolentium, rebellio nondum remittitur, habita a factiosis aliqua de gubernii copiis victoria, quae eo usque

eorum arrogantiam incendit, ut Germanicam bellicam quamdam navem aggredi quoque ausi sint; quod quidem eorum sortem in peius vertet.

Ceterum omnes adhuc credunt, eam esse Yuan-Sci-Kai praesidis vim atque virtutem, ut rebellium conatus is demum sit ad nihilum redacturus.

PUBLICI PER ORBEM COETUS legibus ferendis

In Anglia apud Senatum de navalium rerum statu disceptatum.

In Batavia novum administrorum collegium suffectum, praeside Cord van der Linde.

In Belgica scholasticae reformationes in discep-tationem ante ferias adduci non potuerunt.

In Gallia apud Senatum leges militares ac de reditibus publicis ratae habitae.

PER ORBEM

Die III mens. Augusti MCMXIII Neoportus ex urbe nunciant sexaginta et tres annos natum vita functum esse Ioannum Milne, sysmologiae magistrum praeclarum, quam in Iaponia primum, deinde in Oxoniensi athenaeo summa cum laude professus est. Ipse sysmographicam chartam totius orbis descripsit, in quo opere decem annos adlaboravit.

— d. iv Mediolani opifices omnes ex condicto ab operibus suis recedunt, tumultusque excitant, quos manu militari cohibere oportet.

— d. v antiquitatis magister Loat regiae disciplinarum societati Londinensi refert, Abydi coemeterium avium, Ibis praesertim, a se repertum esse.

— d. vi Peruvianaes urbes Caravai et Guisasha ingenti terrae motu solo prope aequantur.

— d. xi Catalauniensis operariorum a laboribus desertio, sub finem superioris mensis inita, tandem remittitur.

— d. xii Neoeboracensis civitas ventorum immani vortice affligitur, gravi tum rerum tum hominum iactura.

— d. xiii septuagesimum vitae annum agens Passugg in oppido ad Coiram repentino fato corripitur Augustus Bebel, socialistarum factionis per orbem universum facile princeps.

— d. xv Centumcellis monumentum dicatur Alberto Guglielmotti, Sacerdoti ex Ordine Praedicatorum, historico navalium rerum apud Italos summo.

— d. xvii Divoduri (vulgo Metz) in urbe sexagesimus catholicorum Germanorum conventus solemnni ritu inchoatur.

— d. xviii Franciscus Iosephus, Austrorum Im-

perator Hungarorumque rex, quartum supra octogesimum aetatis annum feliciter explet.

— d. XIX Macao ex portu Hong-hong usque, turbo (vulgo *typhon*) ingentissima damna apportat.

Tacubaya, in vico ad Mexico urbem, currus electrica virtute actus, dynamite ignita pulvere onustus, incenditur, centum et ultra hominum corpora misere lanians.

— d. XX ad thermarum stationem Sancti Germanii supremum diem obit Aemilius Ollivier, Napoleonis III, Gallorum quondam imperatoris, minister, sub quo infelicissimum contra Germanos bellum an. MDCCCLXX peractum est. Natus erat Massiliae d. II mens. Iunii MDCCCXXV, fuitque etiam vir multarum litterarum.

— d. XXI Saccorgiane in litore ad Polam urbem, dum tormentorum bellicorum experimenta fiunt, ex improvisa machinae cuiusdam fractura pyrogranaeque inde incensione, milites tres necantur, atque Lanjus Wellemburg, Comes, praetor navalis gravi vulnere afficitur, cuius causa et ipse insequenti die mortem occumbit.

— d. XXII officinae plures in urbe Jersey ad Neoeboracum, flammis, ventorum vi diffusis, maximis cum damnis vorantur.

— d. XXVII Catalauniensi in oppido S. Antonii nitratae pulveris ingens receptaculum fulmine incenditur. Pagi proximi Tremp, Salas ac Talaran graviter inde pessumduantur.

— d. XXVIII coram Batavorum regina, praesentibus universi orbis legatis, «pacis aedes» Hagae ad urbem sollemni pompa aperiuntur.

— d. XXX atrae procellae in Iaponia furiunt, quibus pontes innumeri destruuntur, Tokioque ipsa in urbe multa aedium millia aquis inundantur.

— d. XXXI tempestates quoque violentae ex Gallia omni nunciantur.

LIBRI RECENS DONO ACCEPTI

Sociorum et lectorum in mentem revocamus, libros recens editos atque ad nos missos, ut in Voce Urbis eorum notitia detur, neque hoc ipso a nobis commendari, neque apud administratorem nostrum, nisi contra aperte declaretur, venundari. Si quis alterum eorum sibi cupiat, petat necesse est ab editore, quem semper indicamus.

De cognitione sensuum externorum. — Inquisitio psycologico criteriologica circa Realismum criticum et obiectivitatem qualitatum sensibilium. auctore P. Ios. GREDT O. S. B. in Collegio d. Anselmi de Urbe philosophiae professore. — Romae, edid. Desclée et soc., MCMXIII. (Ven. lib. 1, 25).

RAMIRUS MARCONE O. S. B. — *Historia philosophiae scholarum usui accommodata.* Volumen I. Philosophia orientalis et graeca. — Indidem. (Ven. lib. 3,50).

P. A. PEDERZOLLI. *L'editto di Milano e la libertà della Chiesa.* Note, raffronti, considerazioni. — Indid. (Ven. lib. 0,75).

EGILBERTO MARTIRE. *L'anima di Federico Ozanam.* Discorso. Indidem. (Ven. lib. 0,50).

AENIGMATA

I.

Illa ego sum, notas hominum quae punio sordes;
Ut purgem pleno iure statuta fui.
Mors me et vita tenent, mea dant et funera vitam,
Quum tenet oppressum pectoris aura sinum.
Ad sua prata vocant omnes me tempore certo;
Sed membris cupiunt me procul esse suis.
Quum ruo de sphæris artusque in frusta secantur,
Vos dolor excruciat, vos quoque poena ferit.
Quae me progenuit gaudet non luce serena,
Quum grave me proprio in pectore gestat onus.
Syrmate septa nigro lacrymanties inter amictus,
Me parit in terris, quam tenet ante Polus.
Libertas mihi cara placet, nec compede possum
Vinciri: e manibus labor, ut aura, notus.
Si me nonnulli servire penatibus optant,
Illuc vi interdum deboe fune trahi.

II.

Quum miser absunit cunctas et devorat escas,
Qui me progenuit denique orexe perit;
Non semel extinctum, soboles pia, corpore texi;
Altera non potui vota replere patris.
Torrida zona dedit vitae primordia flammis:
Sum, nigros inter, candidus ortus ego.
Sed mea vita fuit nimium damnosa parenti;
Me nascente, suos perdidit ille dies.
Dum mea stringebant genitorem brachia, lethum
Oppetiit: purus trivit ad astra vias.
Avolat ad caelum; infelix ego deseror orbe:
Pellendi maculas, hic mihi munus erit.
Nominis symbolico Mætanoeae dicor amicus,
Cui cycladem proprio saepe colore tego.
Sed cave, ne multum credas in veste colori:
Saepe etenim mendax contegit illa dolos.

AUGUSTINUS EPIRO.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Doctorem IOSEPHUM FORNARI, Commentarium moderatorem (Roma, via del Governo Vecchio, 96) miserint intra menses duos, unus sortitus, gratis accipiet, IOACHIM ANTONELLI COSTAGGINI Milesiam fabulam, cui titulus:

ARRAE GORGONIAE.

Aenigmata an. XV, n. VI proposita his respondent:

I) Flabellum; II) Falx.

Ea rite soluta miserunt:

P. C. Peitenburg, *Soeterwonde apud Lugdunum Batavorum.* — Petrus Tergestinus. — Diomedes Falva, *Constantia.* — Iac. Costa, *Dumio* — Lad. Thyssen, *Dresda.* — Alois. Geyer, *Ratisbona.* — Lud. Dubois, *Massilia.* — Claudius Lucensis. — Rich. Brondel, *Brugis.* — Alf. Martinez, *Badiocio.* — Iac. Gomez, *Cæsar Augusta.* — B. Ferraris, *Augusta Taurin.* — Lud. Bernard, *Gratianopolis.* — Lud. Goux, *Bituricis.* — F. Arnori, *Meditolano.* — F. Correa, *Emerita.* — Alex. Pintauro; Vine, *Starace, Neapol.* — Clem. Fiard, *Curia Rhaetorum.* — E. Burg, *Monachio.* — Carm. Zlinzky, *Cracovia.* — Nic. Endrigi, *Salisbury.* — St. Lowinski, *Zerkow.* — F. Wawer, *Marianopolis.* — Georg. Archambeault, *Quebeco.* — Io. Martins, *Philadelphia.* — Mart. Dunne, *Neo Eboraco.* — Leonardus Feher, *Chicagino.* — Alb. Perraud, *Lutetia Parisiorum.* — Ant. Masia, *Tarragona.* — Iac. Menendez, *Madrito.* — Alb. Kain, *Dublino.* — I. Ortiz, *Morelia.* — F. X. M., *Drepago.* — Fr. Xav. Ghion, *Ostunio.* — P. Prado, *Venetis.* — Paulinus a S. Iosepho, *Barcinone.* — Arch. Magliano, *Genua.*

Sortitus est praemium:

JACOBUS COSTA,
ad quem missa est IOANNIS BAPT. FRANCESIA comoedia latinis versibus scripta, cui titulus:

SATURIO.

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus

ROMÆ. — Officinae Societatis Editricis Romanae.

AD ROMAM

ACTIO DRAMATICA

versibus plautinis composita et in tres actus distributa.

OCTAVIUS.

Sum Christianus equidem,
Et ipse fortior divino auxilio,
Fatebor alte coram vobis, iudices !

MUTIUS.

At imperator... punit vos sententiis
Magis ne fundatur Christi perversitas.

OCTAVIUS.

Christi perversitas? Vobis ignoscat Deus!
Iesu quid castius, quid purius, sanctius?
Deos vestros stulte quos vos colitis,
Quos foedos omnibus scitis criminibus,
Asperno maximis verbis et spiritu.

MUTIUS.

Quam si vitam vis salvare, et liberum
Domum redire... oportet contemnas Iesum
Colis quem stulte! Tibi quid hoc prodest?

I. SACERDOS.

Novam relinque legem, quam vos docuit
Magister ille venit qui de Solimis,
Suo qui meruit damnari crimine.

OCTAVIUS.

Dicam liberius, quamvis paene puer.
«Suo» dixisti? Dic «nostro» potius.
Eramus omnes saucii criminibus,
Et ultro lapsi, misere, in ira Numinis.
Erat sors tristis vivens et post funera.
Poetae nostri, qui erravere turpiter,
Haec vera passim nos fecerunt monitos.
Adest salus nulla; labendum in baratum!
Dabit quis mercedem salvandis fratribus?
Quis exsules duxerit laetos in patriam?
Fuit sed ipse qui redemit sanguine.

MUTIUS.

Alumnos quaerit.

I. SACERDOS.

Nos Christianos autumat.

OCTAVIUS.

Quod ignoratis vos iniuste temnitis.
Sic olim celeber pro Roma Curtius
In foveam vitae non avarus cecidit.
Quis audet illum incusare crimine?

Iesus colendus est omnibus gentibus,
Suum qui prodigus profudit sanguinem.

Laetor puer Christi cultum defendere

Mori paratus duris et cruciatibus.

Et esse Christianum, mens iam praesagit

Mihi, qui venerint, dicent, historici,

Agant qui fortiter, patientur duriter!

MUTIUS.

Lubet quam, iudices, ferri sententiam?

I. SACERDOS.

Et hic qui audacior iudicium provocat?

II. SACERDOS.

Diis placandis est mactanda victima!

OMNES.

Deos adora, ni velis plecti gladio!

OCTAVIUS.

Adoro Christum, veneror suaviter;
Nec praeter ipsum venerabor in posterum.

OMNES.

Tenax eris?

OCTAVIUS.

Quin pertinax, ad sanguinem!

I. SACERDOS.

Necem tibi petulans imputabis, puer!

OMNES.

Adeste ferris, taidis, vos sacrificuli...

OCTAVIUS.

Adoro Christum! Veneror!

(*Interea captivi qui chartulam legerunt, gestientes laetitia, elata voce concinunt*):

Deus cras mittet redemptionem populo
Erunt et omnes conceptivi liberi
Contritus laqueus liberati sumus.

I. SACERDOS (*Exaudiuntur diversae voices*)

Qui strepitus?

OMNES.

Quid hue profani turbatim introeunt?

(*Ad proximum numerum*).

I. B. FRANCESIA.